



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Gaudiorum terrenorum varietas, ad æternùm duratura nos gaudia
inuitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

rem sunt rebus his caducis infinites me-
liora atque optabiliora, vel hoc solo etiam
capite, quia durabiliora.

§. IX.

*Gaudiorum terrenorum vanitas ad æternum
duratura nos gaudia inuitat.*

Huic durationi accedit magnitudo bo-
norum, quæ inibi obtinget. Quantis enim
spatijs cælum illud latè circumductum ter-
rarum angustias superat; tanta excedit im-
mensitate gaudium beatorum, huius mun-
di illecebras. Res, quæ hîc pariunt delecta-
tionem, non simul, sed sensim, & successi-
uè, nec sine interruptione, & plurimarum
molestiarum admixtione, sua comoda ad-
ferunt; quorum cum alterû succedit, prius
evanescit. At, in cælo, totum illud æternum
bonum, electis promissum, electorû est, &
ab electis in æternum totum simul possi-
detur. Nam *quamvis non fuerimus ab aeterno,*
tamen possidentes Deum, fruemur in eo etiam
æternitate; quatenus infinitis retro sæculis ex-
stitit, mente nos retrorsum, & antrorsum ex-
tendentes; sicut & tota immensitate fruemur,
in immensum illud pelagus nos immergentes,
vnus enim erimus spiritus cum Deo. Sensum
igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut

Nn & ipse

Leonard.
Lect. li. 4.
de diuin.
Perf. c. 4.

Et ipse Deus habebit, et si dispari gradu. Quis itaque ex hac terra morientium ad illam terram uiuentium non aspiret? Immo quis diuinam hinc prouidentiam non agnoscat, amet, prædicet, quæ si aliam nullam causam haberet (cùm tamē habeat plurimas) tamen ob hanc solam benignissimè terras constringeret, concuteret, tot mortibus & miserijs repleret, ut eam nauisere, ac deserere disceremus; atq; ad meliorem, ex hoc exilio potiùs, quàm natali solo, patriam appetendam incitemur.

§. X.

A considerato terra puncto, ipsos etiam Ethnicos, ad caelestem amplitudinē inuitatos.

Cur hoc non faceremus Christiani? Ethnici fecerunt. Quorum vnum iuuat testem adducere, ne videamur nervos nimium intendere, dum terrenas & delicias mentes, ad rerum vanarum, mundi-que huius contemptum, & desideria caelestium inuitamus. Ita igitur Romanus sapiens loquitur. Virtus, quam affectamus, magna est. non quia per se beatum est, malum caruisse, sed quia animum laxat, ac preparat ad cognitionem caelestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet

Senec.
l. 1. Nat.
99. in
procem.